

DOMINICA PALMARUM.

EVANGELIUM MATTHEI XXI.

In illo tempore : Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea : solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, dicentem : Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

CONCIONES.

- I. Quæ victoriæ obtinendæ sint ante s. communionem.
- II. Anima fidelis quomodo asinus esse debeat præsertim in s. communionem.
- III. Pia Christianorum exercitia per hebdomadam sanctam.
- IV. Præparatio proxima ad s. communionem.
- V. Quid sibi velint palmæ.
- VI. Pompa Christi triumphalis.
- VII. Causæ triumphantis Christi ingressus.
- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

CONCIO I.

QUÆ VICTORIÆ OBTINENDÆ SINT ANTE COMMUNIONEM.

- I. De negotiis sæcularibus. — II. De examine conscientie. — III. De contritione. — IV. De confessione. — V. De obstaculis dignæ communionis.

THEMA.

Cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.
Matth. XXI.

Superioribus quadragesimæ dominicis vidimus arma dæmonis, et armavimus nos contra illum. Sed nunc tempus est pugnandi, quia tem-

pus peccata confitendi et communionem percipiendi. Quare sicut David, I. Reg. XXI. fugiens a Saule, resumpsit gladium Goliathi, oblatum sibi ab Abimelech sacerdote, gladium, inquam, Deo dicatum et sacro loco asservatum; ita nos hodierno die accipimus in ecclesia a sacerdote palmæ ramos, qui gladii figuram habet, quo videlicet moneamur fortiter pugnare et vincere difficultates, quæ velut armatæ acies circumstant s. eucharistiam, non secus ac lignum vitæ custoditum voluit Deus per Cherubim, et flammæ gladium. Has ergo acies conemur nunc penetrare, ut vitæ ligno frui possimus.

CONCIONES AUCTARI.

- I. Quomodo introducendus in animam Christus.
- II. Processio fidelium conducens Christum in caestem Jerosolymam.
- III. Quid potissimum agendum in septimana sancta.
- IV. Varii rami benedicti variis distribuuntur.
- V. Præparatio ad s. communionem.
- VI. Cum palma obviandum Christo patienti in hac septimana.

I. Prima acies, penetranda sunt negotia sæcularia. Quemadmodum enim Pharo tunc maxime occupavit et oppressit operibus luti Hebræos, ita ut ipsimet undique paleas conquirere deberent, cum ex Ægypto discedere in desertum vellent ad sacrificandum Deo, Exod. V. « Sic quotidianis dicimus experimentis, (ait S. Bern. de convers. ad cler. c. XVIII.) eos qui converti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis et urgeri gravius in operibus luti, qui Pharaonis imperium effugere moliuntur. » Sic ille. Et Casianus, collat. XXI. c. XXVIII. ait. « Ideo sacris quadragesimæ diebus maxime impugnatur omne monachorum genus, eo quod secundum illam similitudinem, qua tunc Ægyptii filios Israel violenter affligebant, nunc quoque verum Israel, id est, monachorum plebem intellectuales Ægyptii duris ac lutulentis operibus incurvare conentur, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiam deserentes ad eremum virtutum salubriter transeamus, ita ut adversum nos Pharo infremens dicat : Opprimantur laboribus et solliciti sint in operibus suis, etc. » Tales sunt fere tardigradi illi et lucifugæ, qui ad ultimas horas et nocturnum tempus differunt confessionem suam, eamque ex abrupto et per transennam tantum faciunt. Sed audiant isti Ecclesiasticum, c. XXX. dicentem : *Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine et congrega dispersum cor tuum in sanctitate ejus.* Nimirum totum annum impendis corpori et corporalibus negotiis, animam vero derelinquis. *Miserere*, vel semel in anno, *animæ tuæ, et contine et congrega dispersum cor tuum in sanctitate*, ut placeas Deo. Si vocaret te ad mensam magnus aliquis princeps, non dubium quin sepositis tuis negotiis, quantumvis seriis, ad illum accederes. Atqui nunc Dominus dominantium vocat ad gratiam et communionem sui corporis : quid ergo tibi nunc cum negotiis aliis? Abraham certe juxta præceptum Domini immolaturus filium, duxit quidem secum aliquamdiu famulos et asinum, sed ubi ad locum immolationi destinatum, montem scilicet Moriæ, appropinquavit, ut jam eum videret, dixit illis : *Expectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertetur ad vos*, Gen. XXII. Quoniam ergo et nos vocati nunc sumus a Deo, ut immolemus ei cor nostrum, dicamus sensibus nostris : *Expectate hic cum asino*, curarum et negotiorum carnalium. Certe etiam Dominus, asino vectus Jerusalem, ubi ad templum venit, de asino descendit, et ingressus est in templum pedes; ad doctrinam nostram, ut in presenti negotio eum imitemur.

II. Secunda acies hostilis obsidet examen

conscientiæ, ne rite fiat ante confessionem; uti sunt cæcitas mentis, obliviscentia, ignavia et incuria, temporis defectus, tædium, etc. Hinc multi imparati et muti in confessione, quia raptim et tumultuariè se examinarunt. Sed væ tibi, nisi deprehendas peccatorum tuorum nidum, cum possis. Si scires in ædibus tuis nidificare rapacem aliquam avem vel martem, qui devoret tibi gallinas et columbas, nonne tu sedulo inquirereres? Nonne lumine accenso totam ædem perlustrares? Fac hoc igitur in corde tuo; multæ ibi bestię, quæ devorant pulchritudinem domus tuæ. Itaque primo accende lumen, pete illustrationem a Deo, *Patre luminum*, uti vocatur a Jacobo, c. I. Deinde immorare inquisitioni. Ut enim qui in cellam vel locum tenebrosos intrat, paulatim incipit melius et melius res inibi positas intueri; ita si immereris examini conscientie. Tum perquire omnes angulos et vias in quibus detinuisti te, per hebdomades, per dies; perambula decem præcepta, quinque præcepta Ecclesiæ, septem vitia capitalia, quinque sensus, cogitationes, verba, opera, omissiones, ut quod in uno loco non deprehendis, deprehendas in alio; velut si feras in venatione quæras, quas enim non capis retibus, forte capies canibus positis in insidiis, aut balista sternes. Dissipator ille villicus, cum audisset domini sententiam de se amovendo, convocavit omnes domini sui debitores, et e singulis quæsit : *Quantum debes domino tuo?* Fac id et tu : sedulo inquire omnia peccata, et quære quantum debeant, id est, quam multa et gravia sint. Tunc tu ipse sede et si nosti, scribe ea in chartam ut confiteri absque oblivione possis. Laudatus est ideo villicus a Domino quod prudenter egisset. Laudaberis et tu a tuo confessario, si sedulo te pararis. Docet hoc etiam Dominus in hodierno evangelio; nam de monte olivarum ingrediens Jerusalem, prius transiit vallem Josaphat interjacentem. Deduc igitur animam tuam in vallem Josaphat, id est, iudicii proprii; (siquidem in ea valle iudicium extremum fiet) antequam ingrediaris templum et ejicias vendentes et ementes per confessionem. Modo ea vallis est vallis misericordie, ad radicem montis olivarum posita, et salutare ejus iudicium. Quod si hoc detrectes, rapieris aliquando vi ad eam, cum erit vallis justitiæ, nec amplius invenies ibi olivas misericordie, utpote jam exterminatas in universali mundi excidio. Unde apostolus, I. Cor. XI. *Si nos ipsos dijudicaverimus, non utique judicemur.*

III. Tertia acies obsidet contritionis actum, id est, dolorem de peccatis, eorumque detestationem ac propositum emendationis. Ea vero est

amor et complacentia peccati, consuetudo peccandi, duritia cordis, desperatio emendationis, etc. Hoc agmine persequitur caecodæmon fugientem a se hominem, sicut Pharaon fugientem Israel. Hinc tam siccae pleraque sunt confessiones, sine singultibus, sine dolore, sine proposito firmo emendationis. Hinc confessarii lateres saepe lavant, dum confitentes abluunt. Sed perumpenda est hæc acies et milites militibus opponendi.

Agnosce imprimis bene peccata tua et pone ea in trutinam. Quid diceris, si quis te ita offensus, uti tu Deum et proximum? Quid diceris?

Secundo, indue tuis sceleribus alium, quemadmodum Nathan fecit Davidi, proponendo ei peccata sua quasi alius ea fecisset, et vide num ea in illo probares.

Tertio, cogita dulcedinem peccati quæ te retinet, desituram aliquando in amaritudinem et breve tempus, quo peccata tua intueri non audebis, sed cane pejus et angue detestaberis; quemadmodum cito expertus est Amon, qui post expletum incestum cum sorore, vehementius eam odisse cepit, quam prius unquam amarit.

Quarto, quantam simul pœnam sustineas per remorsum conscientiae, timorem iudicii et gehennae; adeoque peccati delectationem esse dulce quoddam venenum.

Quinto, si necdum emoliri sentias cor, incipe dolere vel hoc ipsum, quod dolere de peccatis nequeas, quod tam durus sis ad pœnitentiam, tam facilis ad peccandum. Dic cum Davide: *Quis dabit capiti meo aquam, et plorabo die ac nocte?* Percute cor tuum pugno, uti Moyses petram virga, quis scit, si prodeant inde lacrymæ? Ex lege quidem jubebatur mulier purificanda offerre sacerdoti agnum et turturem pro peccato; quod si tamen non invenisset manus ejus, nec potuisset offerre agnum, debebat offerre saltem duos turtures vel pullos columbarum, Levit. XII. Turtur vel columba gemitum significant, quod si igitur veram contritionem in te excitare et Deo immolare nequeas: excita attritionem in confessione et geme ac dole, quod tam durus sis ad compunctionem. Etenim *ante oculos Dei nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate*, inquit, S. Greg. ho. V. in ev. Ostende etiam hanc tuam duritiam confessario; ut ab illo juveris ad verum dolorem concipiendum.

IV. Quarta acies obsidet confessionem, estque pudor revelandi peccata, et timor correctionis vel satisfactionis, etc. Objicit hæc acies primo, conservandum esse bonum nomen; siquidem *melius est quam divitiarum multarum*, Prov. XXII. et licet

confessarius ipse secretum servare teneatur magni tamen facienda est jactura bona opinionis apud illum, præcipue si sit vir gravis. Secus respondetur, exiguam hanc confusionem liberari nos ab æterna illa confusione, qua in extremo iudicio afficeremur, si nunc peccata tegeremus. Pereat ergo temporalis honor, modo servetur æternus; si enim venenum haustum evomere erubesceres coram aliis quamvis absque tormento et confusione non posses, nonne stultus fores? Quanto major stultitia, nolle peccati venenum evomere ad vitam animæ conservandam? Nam *cum tu ipse* (ut ait Origenes) *teipsum accusas et confiteris, simul evomis delictum, atque omnem morbi tui digeris, ac rejicis causam et mox sanus et quietus evadis.*

Deinde confitendo peccata, gloriam tibi majorem paris, quam confusionem. Si qua enim confusio est confiteri, coram confessario tantum est, qui solus confessionem excipit. Atqui apud eundem majorem confitendo paris tibi gloriam, quam sit illa confusio; nam dum aperte et sincere confiteris, agnoscit et deprehendit te fieri vel factum esse filium Dei, qui prius eras filius diaboli; et illud certius novit, quam istud. Quod enim fueris aliquando servus diaboli, id ex auditu tantum et relatione tua credendo tenet; quod vero nunc sis vel fias filius Dei, id coram intuetur; videt enim et audit pœnitentiam et humilitatem tuam. Jam vero a natura insitum est homini, ut auditis parum, visis vero multum moveatur. Etenim si audiamus in prælio plurimos cecidisse, parum id curamus; sed si vel unus coram nobis occidatur, plurimum commovemur. Certior itaque confessarius est de confitentis pœnitentia et gratia, quam de mala ejus vita. Sed demus parem esse utriusque rationem; quid obest tibi, si te sciam fuisse aliquando peccatorem, modo autem esse justum et cœli hæredem, angelorum civem? Quid obest Magdalene quod sciamus eam fuisse aliquando peccatricem? Matthæo, fuisse publicanum? Nihil prorsus. Verissime igitur Ecclesiasticus, cap. IV. ait: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam.* Talis autem est confusio confessionis.

Objicit secundo, non esse præbendum malum exemplum aut scandalum confessario. Quemadmodum enim Martha quamvis vitam fratris Lazari desideraret, quando tamen Christus jussit tolli lapidem sepulcri, in quo ille jacebat, ut eum resuscitaret, illa conata est impedire, dicendo: *Domine, jam fetet, quatruiduanus est enim:* sic caro nostra resistere conatur manifestationi

peccatorum, sub prætextu foetoris, id est, mali exempli, quo offendi posset confessarius. Verum quemadmodum Christus nihil motus est hac objectione, sed detegi Lazarum voluit, quia sciebat foetorem illum cito abscessurum, ita non est timendum, ne malo exemplo confitentis offendatur confessarius; cito enim tolletur malignus ille odor. Nullum mortuum Dominus suscitavit absens: similiter absolutio non habet vim in absentes, præsentia requiritur, ut sua confusione pœnitens sanetur.

Hinc eadem illa acies suadet mutare confessarium, et omisso prudente, serio et noto, accedere ad ignotum et simplicem. Sed hi imprimis male sibi consulunt. Quis enim in sua ægritudine non malit uti medico, cui perspecta est ejus complexio et ratio morbi, quam alieno, qui nondum ista novit. Deinde magnus hypocrita videtur esse, qui in ea re, quæ ad humanam superbiam destruendam instituta est, honorem quærit et existimationem. Hoc autem facit, qui gravia peccata ignoto confitetur, vult enim apud notum suam conservare existimationem. Cæterum non negandum in quibusdam casibus expedire, confessarium mutare; sed si ob dictam causam tantum fiat, obest.

V. Quinta acies sunt obstacula, quæ impediunt, ne sancta communio rite et cum fructu fiat. In ea acie stant primo, peccatum mortale cum primis admovendum. Quemadmodum enim Israelitæ non acceperunt manna, donec ex Ægypto discederent, rubrumque mare trajicerent, in quo ita omnes eorum hostes submersi sunt, ut nec unus quidem superfuerit eis; ita divinus hic cibus non prius peccatoribus datur, quam malum suum statim deserant, omnesque iniquitates in pœnitentiæ mari demergant.

Secundo, peccata venialia etiam et affectus inordinati erga creaturas. Hi enim solent impedire gustum et suavitatem illius mannae. Atque ut manna antiquum non fuit datum Hebræis statim ac mare rubrum transierunt, sed postquam tota farina, quam ex Ægypto secum attulerant, erat consumpta; ita qui affectus inordinatos erga peccata secum adhuc fert post perceptam pœnitentiam, non mirum, si hujus mannae (eucharistiæ) gustum non experiatur, utpote aliarum rerum gustu jam præoccupatus.

Tertio, distractiones cordis, et mentis evagationes, quæ et ipsæ impediunt gustum communionis. De his intellige, quod scribit Sapiens, Proverb. XXIII. *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo;* q. d. Attende tibi, cogita cum quo sedeas, quid

sumas; divide id cultro meditationis et mortificationis distractionum tuarum, etc. Denique sede, cum quiete videlicet corporis et animæ, cum decentia et reverentia, etc.

Quarto, mundus seu pompæ et vanitates ejus, quæ tempore communionis præsertim amovendæ. Humilis enim Christus in eucharistia cum humilibus vult conversari; et coram ipso nemo magnus est, nisi qui magis humilis.

Quinto caro, quæ et ipsa refrænanda, primo, quoad gulam, ut omnino jejunos ab omni cibo et potu accedas. Decet enim, ut cibus animæ præcedat cibum corporis. Secundo, quoad immunditiam, ita ut a præcedente nocte nulla præcesserit culpa, quæ corpus et animam maculet. Imo suadent sancti abstinere a communionem, quando aliquid ejusmodi etiam sine culpa præcessit.

Sexto, dæmon ejusque tentationes non solum circa fidem hujus sacramenti, sed etiam circa intentionem communicandi. Noli quærere vanam gloriam, neque etiam propriam delectationem, sed Dei gloriam et unionem cum eodem et proximis tuis, peccatorum tuorum veniam, tentationum victoriam, præsertim a lapsu, augmentum in virtutibus, et perseverantiam in gratia.

CONCIO II.

ANIMA FIDELIS QUOMODO ASINUS ESSE DEBEAT, PRÆSERTIM IN COMMUNIONE.

I. Quantum ad fidem. — II. Quantum ad modestiam. — III. Quantum ad crucis professionem. — IV. Quantum ad venerationem s. eucharistiæ. (Vide in f. Trinit.) — V. Quantum ad mansuetudinem.

THEMA.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum. Matth. XXI.

Mysterio non caret asinus hodiernus, in quo sedit Christus; designat enim animam fidelem, quam per suos discipulos solvi jubet Christus in sacramento pœnitentiæ; nec impedire id potest dæmon, quia Magister dicit. Ea porro adducitur Christo, cum pergit ad sacram communionem; sternitur vestimentis, dum virtutibus adornatur huic actui competentibus; in ipsa demum communionem suscipit in se Christum veluti sessorem. Ergo, auditores, anima fidelis, in s. communionem asellus Christi est. Neque hoc absurdum existimate, quando David magnus ille rex dicitur non erubuit, Psalm. LXXII. *Ut jumentum factus sum*

apud te: et S. Hieronymus, in Psalm. LXXV. exclamare non dubitavit: *O si nos essemus equi Dei, et super nos agnaretur Deus ascendere?* Scimus etiam ex eodem Hieronymo, S. Hilarionem suam carnem appellasse asinum, et in vitis patrum, l. V. c. XV. legimus abbatem Nesteronem, quando intravit monasterium, sibimet dixisse: *Tu et asinus unum estote.* Quod ipsum etiam nos, cum accedimus imprimis ad s. communionem, iure nobis dicimus, uti mox audiemus.

I. Asinus est animal simplex et rude, si quod ullum: unde stolidos et rudes vocare solemus asinos. Quod si probrum est apud homines, non tamen apud Deum, cum id credendum est, quod intelligere non possumus. Quoniam ergo in mysterio eucharistiæ vires humanæ intelligentiæ superante, fides imprimis exercenda est, rectissime faciemus, si nos asinos, id est, rudes et ineptos ad tantam rem intelligendam fateamur, solique Dei omnipotentiae innitatur; uti faciebat David in rebus difficilibus, qui Psalm. LXX. ait: *Quoniam non cognovi litteraturam (alii legunt, numerationem) introibo in potentias Domini: q. d. Quia non intelligo litteras et numeros, adhærebo omnipotentiae Dei, in eam introibo quasi in arcem munitissimam, in ea confidam et abscondar.* Dicamus et nos in proposito: Quoniam sum asinus, nec novi res divinas legere aut numerare, idcirco introibo in altare Dei, confisus ejus omnipotentiae. Ferunt corvum asino infestum pugnare contra eum et morsu impetere oculos ejus. Sed asinum juvat imprimis oculorum profunditas, deinde aures longiores, quibus se defendit, Geminianus ex Aristot. et Avicen. de rerum similitud. l. IV. c. LXI. Ita prorsus stygius corvus homini infensus, oculos ejus spirituales impetit, fidem scilicet, qua homo intuetur ea, quæ supra se sunt, et rationem, qua videt ea, quæ infra se sunt. Sed juvat hominem imprimis oculorum profunditas, id est, humilis et profunde fundatus intellectus, deinde auditus fidei. Si nimirum dæmon objiciat tibi visum quasi testificantem non esse ibi corpus Christi, objice tu auditum, qui docet hoc certissima relatione credendum. Si dicat rationem ista non posse investigare aut comprehendere, dic tu fidem debere ea credere.

II. Est animal humile, simplici incedens gressu, capite et oculis in terram demissis, non erectis et circumspicientibus, ut solent equi ingredi; nec phalaris adornatur, nec ut equi terro et nitido prodit corpore. Ita anima christiana humiliter incedat, maxime ad communionem, oculis in terram dejectis, utpote memor adhuc peccatorum suorum tametsi dimissorum, quem-

admodum publicanus ille; et sicut faceret adultera, cum recepta in gratiam mariti, prodiret in ejus conspectum. In summa communicaturus cogitet se asinum, et nihil esse coram Deo. Deinde cultura externum ita moderetur, ut non nisi ad honorem sacramenti aliquem adhibeat; et si is non suppetat, non sollicitè quærat. *Omnis enim decor filiae regis ab intus,* ait David loquens de sponsa Christi, Ps. XLIV. Humilis rex noster humiles quærit sponsas. Vestium superbia foetet coram eo; quemadmodum de Vespasiano imp. scribit Suetonius, dixisse eum juveni cum unguenti fragrantia ad se accedenti: *Maluissimæ allium oluisses.* Idem ostendit angelus ille qui transiens juvenem comptum sella aurea equitantiem, nares oclusit; transiens vero cadaver foetidum minime oclusit dicens, hominem superbium magis foetere coram Deo, quam quodvis cadaver coram hominibus, Antonin. p. IV. summæ, t. XIV. cap. VI. § 1. Reprehendit hunc cultum Deus in filiabus Sion per Isaiam, cap. III. *Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion,* ait, *et ambulaverunt extento collo, et nitibus oculorum ibant, et plaudebant (vestium strepitu scilicet) et ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, etc.* Hinc a Zacharia, cap. IX. Matthæo, cap. XXI. opponitur eis exemplum Christi in humili ingredientis asino: *Dicite filiae Sion,* ait Matthæus: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, q. d. Quam dissimilis tibi.*

III. Crucem in dorso gestat nigra expressam linea. Sic decet Christianum ferre semper in corpore suo crucem velut characterem Christi, per quem agnoscat esse servus ejus. Gerunt hanc in corona imperatores, in tiara episcopi, in pileo quadrato clerici, eandem in fronte sua crebro depingant laici.

Secundo, ut non confundamur, sed parati simus semper pro et cum Christo pati quævis adversa, quod monet apostolus, ad Hebr. cap. XIII. *Excitemus ad eum,* ait, *extra castra improperium ejus portantes.*

Tertio, ut ad exemplum et imitationem Christi corpus nostrum mortificemus; prout etiam monet apostolus, II. Cor. IV. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Quemadmodum enim Josue calcavit et crucifixit quinque reges, qui ingressum ejus in terram promissam impedire conati sunt, Jos. X. ita etiam quinque sensus nostri, qui suis illecebris circumcidunt et oppugnant nos, impediuntque a conversione et digna communione, calcandi, mortificandi et crucifigendi sunt, ut exponit ibi Origenes, hom. XI

Quarto, in corde per jugem memoriam passionis Domini, quod præsertim faciendum in sumptione eucharistiæ, quæ in memoriam passionis ejus instituta est, juxta id Domini: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod explicans apostolus, I. Cor. XI. ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (Syrus vertit, *in memoriam revocabitis*). Decet enim nos tunc meminisse testamenti Christi et redemptionis nostræ; quæ per ejus mortem consummata sunt. Ad hæc sicut tradit se nobis Christus in escam per sacramentum, ita tradidit se pro nobis morti in escam; ut eam inescatam velut hamo caperet. Hinc absque dubio ut in ipsa communione memores essent fideles crucis et passionis Domini, olim manibus in crucis figuram compositis suscipiebant corpus Christi, ut habetur in Synodo Trullana, c. CI. Nunc vero sacerdos porrigens eucharistiam, cum ea crucem efformat et communicanti benedicit inquit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi, etc.*

IV. Visum est hoc animal non semel venerari s. eucharistiam. Primo in vita S. Antonii de Padua legitur mulus ad imperium viri sancti genibus flexis adorasse eucharistiam ad convincendos et confundendos hæreticos, qui honorem ei detrahebant; ut alibi recensui. Aliud exemplum narrabant pro concione primi societatis Jesu patres, anno 1537. scilicet paulo ante in pago agri Tarvisini, cui Salzanum nomen, Laurentium quemdam sacerdotem cum cœlestem eucharistiæ panem ad ægotum sine pompa comitatuque deferret, asellos quosdam extra oppidum offendisse, qui cum presbytero occurrissent, veluti sentirent, quid ille deferret, ex utroque viæ latere repente discreti procubuerunt in genua. Sacerdotem vero ipsum uno puero comitatum, rei novitate attonitum, medium inter mites ambulasse quadrupedes, eas vero, quasi pompam ducerent, præeuntem fuisse secutas, et presbytero in aedes ingresso, constitisse præ foribus; nec inde prius abiisse, quam is ab ægro reversus, eas ad sua pascua cum benedictione dimitteret. Id multis testibus diligenter interrogatis, in publicas relatum est tabulas, et inde ortam in honorem tanti mysterii sodalitatem ferunt. Ita histor. soc. Jesu, to. I. l. II. n. XXVII. Docuit per hos asellos Deus quanta reverentia, quo cultu et devotione suscipere et comitari debeamus s. eucharistiam; quemadmodum olim per os asinæ docuit Balaamum.

V. Est animal mite et patiens verberum, oneris, inediae. Et talis debet esse anima christiana; oportet primo portare Dominum suum, uti monet apostolus, I. Cor. VI. *Glorificate et portate Deum*

in corpore vestro. In quem locum ait S. Thomas: « Debet corpus vestrum portare Deum, sicut equus vel aliud animal portat dominum suum. » Patitur enim se regi a domino, onerari, premi, cædi; ita Christianus præsertim in communione dicat cum Davide: *Ut jumentum factus sum apud te;* et cum D. Thoma: *Dominus meus et Deus meus.* Rege me in posterum pro tuo beneplacito, onera legibus tuis, preme oneribus, cæde flagellis. Audi Bernard. in Ps. Qui habitat, ser. VII. « Glorificate, dilectissimi, inquit, et portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem, etiamsi preme aliquando forte videtur, etiam interdum latera tundit, et flagellat recalcitrantem, etiamsi aliquando in camo et fræno maxillas constringit et coeret omnino feliciter. Esto ut jumentum. » Et mox: « Quis enim non illi jumento plurimum invideret, cujus in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator; si cum illius tam pretiosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minime tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens Sapienter et delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quam propriam utilitatem. »

Neque solum patienter gestandum, sed et glorificandum Dominum vult apostolus. Glorificamus autem, cum *caute* ambulamus *non quasi insipientes sed ut sapientes,* ut idem alibi monet. Non aspergendus Dominus fœdarum cogitationum, verborum, actuum sordibus; nec cum tanto Domino in lutum pristinae conversationis intrandum; (hanc enim ob causam in hodierno evangelio vestimentum prosternebant in via, ut Dominus super ea invectus, non fœdaretur sordibus;) non excutiendus mortifero peccato, nec post ipsum admittendus in tergum nostrum hostis ejus. De S. Joanne papa primo scribit S. Gregorius, lib. dial. c. II: « Cum ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor mansueti utebatur, itineris causa commodasset, factum esse ut domino postea remissus equus ita ferox evaderet, ut fremitu et totius corporis agitatione semper deinceps dominam expulerit; tamquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi vicarius. Quamobrem illi equum pontifici donaverunt. » Romæ etiam asello, qui aliquando gestavit venerabile sacramentum, (ut solet fieri in peregrinatione pontificis) nemo deinceps hominum insidet. Hunc in modum et nos postquam in nos suscepimus Christum, Christo adhæreamus, nec admittamus amplius sive carnem, sive dæmonem nobis imperantem.